

ANNO DOMINI DCCLXVI

# S. CHRODEGANGUS,

METENSIS EPISCOPUS.

## NOTITIA HISTORICA IN S. CHRODEGANGUM.

(Fabric., Bibl. med. et inf. ætat.)

*Chrodegangus*, aliis *Chrotgangus*, *Grodegangus*, *A Crodogandus*, *Crodogangus* (a), Trithemio cap. 255 de S. E., *Ruggandus*; in epitaphio apud Mabilionium, tom. I, pag. 423 (editionis novæ pag. 377) :

Rotgangus nomen, gloria Christus erat.

Pipini regis ex sorore nepos et episcopus ab anno 743 ad 766 Metensis, de quo præter Sammarthanos, tom. III Galliæ Christianæ, pag. 744, Acta sanctorum ad diem vi Martii, et Acta sanctorum Bened., sec. III, parte II, pag. 204, et Vita Chrodegangi ex Codice sæculi XIII Guelpherbytano edita a Joanne Georgio Eccardo, tom. I Scriptorum Wurtzemburgensium, pag. 912; Martinus Meurisse, episcopus Madaurensis, in Historia episcoporum Metensium Galliæ edita Metis 1654 fol. Scripsit *Regulam* clericis observandam Metensibus, et in multis vestigia legentem *Regulæ S. Benedicti*. Edidit Lucas Dacherius distinctam in capita 86 Parisiis 1654 4<sup>o</sup> tom. I Spicilegii, pag. 205 (novæ edit. tom. I, pag. 565); sed aliam minus interpolatam constantemque capitibus 34 ex Sirmondi Codice Labbeus, tom. VII Concil., pag. 1444, et ex Labbeo Harduinus, tom. IV, pag. 1181, et novissime Coletus in editione Conciliorum Veneta, tom. IX, post concilium Aquisgranense an. 816, subjuncta etiam interpolata illa canonicorum *Regula*, ex Chrodegango, concilio illo Aquisgranensi atque aliunde consarcinata. Sinceram quoque dedit Carolus le Cointe, tom. V Annalium Ecclesiæ Francorum ad annum Christi 737, pag. 567-587, ex Codice ms. collato cum Dacheriana et Labbeana editione. Plura de hoc Chrodegango Paulus Warnefridus in fragmento de episcopis Metensibus apud Andream du Chesne, tom. I Rer. Franc., pag. 204 seq., ubi *normæ* etiam clero institutæ mentio, sicut et apud Sigebertum cap. 78. Excerpta ex illa *regula* capita quædam ante Dacherium vulgaverat Joannes Morinus in sylloge pœnitentialium libellorum, sub-

(a) Vide Carolum le Cointe, tom. V Annal. Francorum, pag. 74.

ministratio pœnitentiæ, quod opus post editionem Paris. 1651 recusum est Bruxellis 1635 et Venetiis 1702 fol. Denique Chrodegangi Privilegium pro Gorziensi abbacia, præter conciliorum editores Labbeum, Harduinum et Coletum, ad annum 756 offert laudatus le Cointe, tom. V, pag. 562. De Romano Psalmorum cantu in Metensem primum, deinde in alias Galliæ Ecclesias per Chrodegangum illato, vide Henrici Warthoni auctarium ad Usserium de Sacris vernaculis, pag. 358.

### EPITAPHIUM CHRODEGANI

EPISCOPI METENSIS.

(Mabill. analect. nov. ad. p. 377.)

Quisquis ab occasu venis hic, vel quisquis ab ortu,  
Præsulis hic cineres scito jacere pii.  
Moribus ornatum, virtutum tramite rectum,  
Egregium meritis hæc tenet urna virum.  
Cui sancti actus, lex meditatio, dogma fidei,  
Rotgangus nomen, gloria Christus erat.  
Romulida de sede sibi data pallia sancta  
Extulit, huncque Patrum extulit ille Pater.  
Instituit sanctæ clerum hinc munia vitæ,  
Ordine in Ecclesia luxque decusque fuit.  
Exemplo et verbis animos ad cœlica regna  
Misit, et in tanta floruit arte satis.  
Virtutes retinens, vitiorum monstraque vitans,  
Satque in eo vigit pontificalis apex.  
Solator viduis fuit et tutela misellis,  
Sensit et hunc sibimet orphana turba patrem.  
Regibus acceptus, populo venerabilis omni,  
Vita ejus cunctis norma salutis erat.  
Post vitæ cursum senio veniente peractum,  
Terram dat terræ, mittit ad astra animam.

## VETERUM TESTIMONIA DE S. CHRODEGANGO.

Sigebertus Gemblacensis, de Script. ecclesiasticis, Cap. 78.

Chrodegangus, Metensis episcopus, Pippini regis

ex sorore nepos, nobilitatem generis nobilitans fervore sanctæ religionis, scripsit regulam, quam specialiter Metensis Ecclesiæ clericis observandam de-